DISQUISITIO HISTORICO-LITERARIA
DE
FEBRE INTERMITTENTE TRAUMATICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XIX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLIV
HORA XI. A. M. IN AUDITORIO MINORI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS ALBERTUS BOERNER,
POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
H. ZIEMSSEN, MED. DR. MED. PRACTIC.
F. BARTSCHER, MED. DR.
A. HOLTZE, MED. CAND.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.
MDCCCLIV.

VIRO AMICISSIMO

ROBERTO BAARTH

HAS PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

SCRIPTOR.

Quum ad commentariolum scribendum accederem hoc spectabam, ut Pyaemiae literaturam perpenderem atque quas ex ea sententias maxime egregias cognovissem quasque inquisitionibus laudabiles essem expertus, peterem. Attamen quum scriptiunculam fere absolvissem materiemque scriptam perscrutatus essem, tam multa jam coacervata esse animadverti, quibus vel tres dissertationes, quales vulgo scribi soleant, expleri possent. Quam ob rem partem tantum primam rerum a me tractatarum tradam atque opusculum hoc fragmenti alicujus loco haberi volo. Spero quoque fore ut de iis rebus, quas lubentissime excercebam et a quibus nunc abscedere sum coactus, alio tempore „non invita Minerva" plenius disseram. Has vero pagellas nunc a me scriptas a lectoribus Prolegomena potius quam scriptiunculam ex propria exercitatione profectam existimari cupio.

Inter labores meos, non solum inter eos, quos publico examini submitto, sed non minus inter eos, quos submittere volui a praeceptoribus meis honoratissimis adjuvabar et consiliis et praeceptis nec non

libris maxima humanitate atque liberalitate datis. Quibus viris praestantissimis Ill. Schultze, Ill. Bardeleben, Ill. Haeser, Ill. Berndt, Exp. Pohl nec non Cel. Gass gratias quas possum maximas ex intimo pectore ago, simul iis promittens, me aliquam ostensurum quanto emolumento mihi fuerint praecepta, consilia, librorum mihi tam liberaliter suppeditatorum lectio.

I.

Pyaemiae symptomata atque conditiones clinicas hoc loco non referam.

Inter stadium suppurationis laesionis alicujus, ex. gr. ex vulnere, operatione, placentae solutione, fractura ossis complicata, tum abscessibus viscerum qualibet ex causa ortis, saepe et subito aegroti valetudo vehementius turbari solet. Cujus perturbationis initium faciunt horrores aut leviores aut vehementiores, aut longius aut brevius per tempus perdurantes, quibus succedit calor atque sudor. Postea animadverti solent intermissiones vel tantum remissiones aut longiores aut breviores. Qui impetus ut plurimum sunt irregulares, quamquam interdum idque praecipue in initio febris intermittentis quotidianae, tertianae cet. speciem prae se ferunt. Remissiones paullatim fiunt breviores, exacerbationes vehementiores et longiores atque inter diem tertium et decimum post impetum primum, collapsus, deliria, sopor, mors denique solent incedere.

Symptomata generalia „typhosa“ possumus appellare. Quae adsunt vulnera pejorem praebent ad-

spectum, marginibus laxis, fundo parietibusque siccis, quum secerni desinat pus [1]).

Medicorum qui nunc vivunt plurimi haec symptomata ex puris resorptione vel septica quadam sanguinis infectione putant provocari. Febrem, cujus typum negant intermittentem, hujus infectionis esse symptoma solum.

Attamen non sunt pauci et antiqui et nostri aevi, qui morbum quem nos pyaemiam vocamus, febrium intermittentium malignarum esse speciem quandam duxerunt, quamquam hos quoque inter se differre videbimus.

Nominabant igitur morbum, nihil nisi symptomata febrilia respicientes, febrem intermittentem traumaticam (Otth, Rosenberger) „Das intermittirende Wundfieber" (Lueders), Traumotyposin (Eisenmann) putabantque esse febrem intermittentem aut quotidianam aut tertianam aut semitertianam eandemque plerumque perniciosam.

Quorum scriptorum scripta hoc meo commentariolo, ut supra jam dixi, constitui perlustranda.

II.

Jam Hippocrates [2]) et Celsus [3]) febres quasdam tam periculosas esse in vulneratis scribunt, ut neque ex inflammatione sola neque ex vulneribus ipsis, sed aliis ex causis occultis proficisci periculum videatur. Desiderius vero Jacotius Hippocratis commentator de

1) Vidal, Bardeleben Chirurgie t. II, p. 269 seq.
2) Praedict. II, 20.
3) De re med. L. V, sect. 26 et L. III sect. 3.

duobus refert aegrotis[4]), in quibus, dum viverent, febris intermittentis tertianae diagnosis esset facta. Cadaverum sectione instituta pus in utriusque cavo peritonaei esse repertum narrat, et in altero cadavere inflammationem gangraenosam intestinorum esse visam, in altero abfuisse. Febris naturam alio loco[5]) optime describit: „Eae febris (sc. in suppuratione) „quodam modo inter putridas et hecticas mediae ne- „que continuae neque prorsus intermittentes. Aliae „harum febrium semitertianae uno die cum horrore „invadunt vere intermittentium more, sed cum remitti „horror videtur et ad incrementum accessio perve- „nire, is iterum idque eodem die bis aut ter accidit. „— — Verum si cum multis sudoribus conjunctae „sint, ita ut saepius et nullo ordine aeger modo in- „horrescat, modo sudet suppurationem latere in cor- „pore certo praesagiendum. — — Ex corruptione et „putredine pulmonum quotidiani circuitus non tan- „tum continuos sed etiam intermittentes.“

Idem unicuique facillime occasionem praeberi scribit observandi febres intermittentes ex bubonibus ortas.

Adrianus Spigelius[6]) „axioma omnis scholae“ febrem symtomaticam semper esse continuam his rejicit verbis: „Nequeo subscribere si multi horum „etiam eas intelligunt (sc. febres), quae ab obstructio- „nibus et putredinibus — fiunt.“

Affert ibidem Marcelli Donati[7]) narrationem,

4) Coment. ad Hipp. coac. praesag. V. 2. 76.
5) l. c. V. 2, 73.
6) De Semitertiana l. I. c. XVIII.
7) De medic. historia mirabili l. V. c. 4.

„Jacobum Hebraeum percussum vulnere transversali „in musculum temporalem incidente. Septima die „supervenientibus rigoribus usque ad diem 45 riguisse „et quotidie semper sudasse alternatim rigoribus „succedentibus sudoribus."

Paracelsus[8]) rigores in Pyaemia intercedentes febrem esse intermittentem videtur conjecisse; qui l. c. hoc refert: „Also wissent auch dass der Himmel „Fieber bringet in die Wunden, also dass zu den ge- „nannten Stunden das Fieber in den Wunden anfahrt „und vollbringet seine Wirkung und Paroxysmum „mit Frost und Hitze wie die Eigenschaft des Fiebers „sind des täglichen und des dreitäglichen und vom „Menschen nicht gehet die Wund sei denn geheilt."

Ambrosius Paraeus[9]) non ignorat febrem „quae „a puris generatione existere putanda" et dicit eam „magis suspectam esse quae inter diem decimum et „decimum quartum post vulnus factum cum frigore „aut horrore incidat" — „quia opinionem faciat pu- „tredinis conceptae in cerebro meningibus aut cranio." Hanc febrem distinguit ab alia, quae minus sit periculosior et similis febris intermittentis. Hae intermissiones Paraeo sunt „indicium ab erysipelate et „biliosae materiae confluxu febrem esse."

Attamen magnus hic Chirurgus jam metastaticos abscessus non ignoravit. Ipse enim dissectis cadaveribus lienem, pulmones et reliqua viscera „purulenta" a sese esse visa scribit. Causam morbi putat

---

8) Die grosse Wundarznei, Buch I. Cap. 6.

9) Opp. chirurgica l. IX. c. 10. de prognosi in cranii fracturis instituenda.

esse „aërem corruptum, vitiosam hominum sarcinam;“ puris metastasin directam non rejicit.

Felix Wuertz[10]) tria genera statuit febrium ex vulneribus provenientium („Wundsuchten“), deque genere primo haec scribit: „Sie (sc. „Wundsucht“) „gesellt sich leicht zu schweren Verletzungen, beson- „ders der Knochen und ist so gefährlich, dass sie „der Pestilenz nahe kommt.“ Primum venire frigorem, tum calorem mordacem, dolores praecipue capitis, delirium, quod nisi aegrotum brevi tempore deserat, certum sit mortis initium. Si hi paroxysmi ter, quater vel saepius aegrotum aggressi sunt, nullum dubium quin ad mortem eum ducant celerrime. Inter causas animi enumerat commotiones vehementes, noxiorum ciborum usum, nimiam sanguinis amissi copiam, conditiones epidemicas. Vulnus inter febrem pallidum esse dicit.

Morgagni compluries[11]) febrium facit mentionem ex vulneribus vel laesionibus ortarum, intermittentium et remittentium. Quas interdum dicit desinere et simul vulnus, inter febrem siccum, meliorem accipere naturam, mox autem novas exacerbationes mortem adducere. Jam Mediaviae, dicit, cognitum fuisse, si subito horrores in febribus ex laesionibus ortis vehementer intercederent certis spatiis, esse symptoma gravissimum.

De abscessibus pyaemicis Morgagni una cum febribus traumaticis loquitur et saepissime compli-

---

10) Wundarzneikunst c. 17—19. (cf. Lüders).

11) De sedibus et causis V, 4. LI, 9, 17, 19, 30 („Vulnus frontis, febris quartana vehemens cum rigore“) LII, 10.

cationes quoque observavit cum febribus intermittentibus veris, quas vulneribus etiam provocari posse videtur putare. Caesar Magati [12]) describit febrem intermittentem traumaticam et equidem puto eum saepius hoc nomine affectiones pyaemicas appellare, quod Lueders negat. — Johannes Verduc [13]) vulneris inflammatione provocari febrem intermittentem dicit quotidianam, si per intervalla pus commisceatur sanguini, continuam si continue. Illam febrem praeterea et tertianam et tertianam duplicatam esse posse.

III.

Nihil de febribus intermittentibus traumaticis scribunt plurimi Chirurgi saeculi XVI. et XVII., ex quibus affero de Vigo, Fabricium Hildanum, Fabricium ab Acquapendente, Purmannum, alios quorum scripta comparavi; nec usquam ubi de febribus vulnerariis disputant, typum commemorant intermittentem; nihil dicunt auctores, qui de febribus intermittentibus et remittentibus scripserunt, quorum nonnullos ut Senac, Torti, Sydenham, Huxham, Morton, Simon Pauli, ipse perlustravi. Temporibus vero, quae sequuntur, regnum incipit anatomiae pathologicae. Affectiones pyaemicae declarantur vel resorptione puris in vulnere (Boerhaave, van Swieten) vel „diathesi purulenta“ (de Haen) vel phlebitide (John Hunter, Dance et Arnott, Cruveilhier). Attamen non pauci sunt, qui

---

12) De rara medicatione vulnerum c. 69. de variis febrium genéribus in vulneribus.

13) Pathologie de Chirurgie. p. 311.

febrem pyaemicam putarunt ut ita dicam dynamicam, abscessus autem et phlebitidem complicationes, vel qui, ut Morgagni, Verduc, resorptionem puris esse causam febris intermittentis traumaticae, intermissione plus minusve regulari praeditae. Sic Musitanus [14]), Heister [15]), Schmucker [16]), Richter[17]). Johannes Bilguer [18]) febrem inflammatoriam distinguit ab ea, quae postea oriri solet. Hanc per longum tempus posse durare atque ex continua fieri intermittentem. Alteram febrem describit plerumque ex magnis vulneribus vel fracturis complicatis ortam fere semper esse intermittentem. Horripilationes, calorem mordacem, sudores maximos non omittit. Quo saepius exacerbationes intercedant, eo majus periculum. Causam esse corporis proclivitatem ad putredinem, pus resorptum, exhalationes aegrotorum in nosocomiis, ciborum abusum. Neque esse hanc febrem complicationem febris intermittentis verae cum laesionibus, sed speciem febrium propriam.

Multas observationes affert C. L. Dumas [19]), cujus tractatus ipse mihi non nisi ex aliis scriptoribus cognitus est. Observavit hunc morbum Lugduni Franco-

---

14) Schriften. 3. Thl. cap. 6.

15) Instit. chirurg.

16) Chirurgische Wahrnehmungen. 1. Band.

17) Obs. chirurg. Fasc. I.

18) Anleitung zur ausübenden Wundarzneikunst in Feldlazarethen.

19) Ueber die Natur und Behandlung der remittirenden Fieber, die sich zu beträchtlichen Verwundungen gesellen und die man unter die bösartigen inter- und remittirenden Fieber zählen kann. Mém. de la soc. méd. d'émul. à Paris 1801. v. Lueders, Das intermittirende Wundfieber. p. 21.

Gallorum in nosocomiis a.1793. De aetiologia febrium, quas scribit accedere ad laesiones graves praecipue ossibus denudatis, magna carnis parte remota, in eadem fere est opinione, qua Bilguer. Ingredi febrem plerumque inter diem septimum et undecimum post vulnus factum, incipere cum frigore, quod sequatur calor ardens atque siccus, inter quem pulsum esse plenum extensum, interdum autem, si complures jam impetus fecerit febris, parvum, tenuem, spasticum irregularem. Accedere plerumque capitis obnubilationem deliriaque blanda inter exacerbationem; debilitatem atque fragilitatem inter remissionem observari. Si febris saepius reiteretur, tum naturam morbi malignam maxime in lucem prodire symptomataque typhosa apparere. Vulnus quoque febri dicit mutari, mox siccum esse paullulumque secernere vel pure malo, foetido, decolore obtectum esse. Non raro et depositiones metastaticas in viscera provocari. Exacerbari et remittere febrem spatiis regularibus eamque plerumque apparere febrem intermittentem quotidianam, interdum autem tertianam duplicatam. Neque inter remissiones non adesse anxietatem, debilitatem, capitis dolores; in nonnullis pulsum quoque manere parvum et frequentem. Quo saepius renovari impetum eo vehementiores, longiores, maligniores fieri exacerbationes symptomataque cum his intercedentia, ita ut febris paullatim ea fieri videatur, quam Torti[20]) appellet „Subcontinuam malignam."

---

20) Therapeutice spec. ad febr. pernicios. Francof. et Lips. 1756. 4°.

Distinguit Dumas hoc febrium genus et a febri, quae ex vulneribus et ab ea, quae ex suppuratione oriatur, neque confundit illud cum febribus intermittentibus veris forte in vulneratis obvenientibus, putatque esse febrium malignarum proprium genus, commemorat quoque hanc febrem sive acutam sive chronicam semper esse maxime periculosam. Vulneris permutationes descriptas nec non abscessus febri dicit provocari.

Se sanasse ejusmodi aegrotos magnis dosibus corticis Chinae narrat fere omnes, si hoc remedium tempore justo adhibere licuerit idemque se audiisse a chirurgis Italis (vide observ. 1—9, obs. 10), permultos autem vulneratos hac febri correptas esse, quibus cortex Chinae non sit porrecta. — Ex his quamquam constat Dumas, praecipue complicationem observasse cum febribus malignis eo tempore Lugduni forsitan grassantibus, dubitari tamen non potest et pyaemiam ab eo esse observatam. Jam van Gesscher[21]) scripserat febres traumaticas, quibus adnumerare videtur pyaemiam, morbis epidemicis adeo commutari posse, ut febrium intermittentium naturam accipiant.

Alibert[22]), cujus scripta non potui nancisci, nihil, ut Eisenmann ait, affert nisi Dumasii sententias.

Napoleonis chirurgus magnus, Larrey ad vulnerationes graves narrat[23]) febrem accessisse, quam vocat „fièvre pernicieuse," eamque postquam impe-

21) Abhandlung von den Wunden, übers. von Loeffler, 1796.

22) Traité des fièvres pernicieuses. Paris 1803.

23) Mém. de chirurgie, t. III. P. 1822.

tus nonnullos fecisset morte esse finitam, de cujus febris natura videtur in eadem fuisse sententia, qua Dumas. Ducem quoque Lannes mortuum esse ex hac febri, quae sexto vel septimo die postquam utroque pede valde vulneratus esset atque hanc ob rem pes alter esset abscisus, ingressa sit, mortemque secutam esse, quamquam magna corticis Chinae copia porrigeretur. Duodecim horis post ingressum primum impetum animadversum esse alterum, eodemque die et tertium, quem secuta esse deliria, virium collapsum, mortem.

Nonnulli quoque medicorum germanorum et celeberrimi febrem describunt intermittentem traumaticam perniciosam, neque tamen certo a nobis statui potest, utrum pyaemiam solam an complicationes quoque aliquas observaverint. Rust[24]) in stadio cicatrisationis ultimo vulnerum praesertim amputationibus factorum saepe observavit „einen Aufruhr, der „im allgemeinen Gefäss- und Nervensystem in Form „eines perniciösen Wechselfiebers sich aussprach.“ Neque profecisse quidquam corticem Chinae, neque arsenicum, neque ulla quaecunque adhibita sint remedia. Vocat igitur hanc fibrem lethiferam („Todtenfieber“), quod tertio vel quarto cum impetu certissimam aegroto paret mortem. Quam ob rem vulnera amputatione facta non adeo celeriter ad cicatrisationem suadet duci, perturbationem autem illam tum demum a se victam esse his narrat verbis: „Einige Kranke konnte ich nur dadurch noch retten,

24) Magazin, Bd. VII, p. 376.

„dass ich die grösstentheils schon ganz vernarbte
„Wunde wieder aufriss oder neue Entzündung und
„Eiterung durch Einbrennung des vernarbten Stum
„pfes mit einem glühenden Eisen wieder hervorrief
„— — — was mir bei Weitem nicht immer durch
„ein milderes Verfahren, z. B. durch Setzung eini
„ger Fontanellen an den Amputationsstumpf, gelin-
„gen wollte."

Ph. de Walther[25]) quum aegroti cujusdam, qui decubitu jam laborabat, femur amputasset, nonnullas horas post operationem finitam horrores vehementes animadvertit. Omnia tamen fuerunt bona usque ad diem nonum, quo die, decubitu gangraenoso, novi horores ingressi sunt, sed vulnus amputationis optimum adhuc praebuit adspectum, deliriis nocturnis non adeo vehementibus, pulsu parvo. Postero die iterum impetus observatur multo vehementior. Pulsus est parvus atque frequens usque ad mortem, qua abripitur aegrotus die undecimo post amputationem factam. De Walther compluries eos aegrotos mortuos esse observavit, qui post operationem aliquam majorem horroribus conquassati essent typum ostendentibus febris vel quotidianae vel tertianae. In cadaveribus dissectis degenerationes purulentas vel gangraenosas organorum internorum et externorum a se esse visas. In illo autem aegroto nihil esse inventum.

Quum mihi non contigerit, ut opus[26]) a Pucci-

25) Graefe und Walther Journal Bd. VI. p. 1. seq.

26) Storia delle febbre intermittente di Roma. Urbino 1824. Cap.: delle perniciose traumatiche.

nottio scriptum perlegerem, ea tantum referre possum, quae Eisenmann ex eo affert atque hoc loco Eisenmanni quoque sententias[27])[28]) explicabo, alios, quamquam ante scripserunt, postea tractaturus.

Uterque persuasum habet, illam quam veram appellant febrem intermittentem traumaticam non observari, nisi quum febris intermittentis, miasma aliter etiam valeat. Diagnosin differentialem inter hanc et aliam remittentem vel intermittentem vulnerariam Eisenmannus noster ex Chinini sulfurici porrecti effectu concludit. Puccinotti quoque refert, temporibus quibus Romae nulla febris intermittentis vestigia observata sint, majoribus vulneribus et laesionibus operatione institutis febres alius generis conjunctas fuisse, quae, ut satis elucet, remediis alius generis remotae sint. Febrem intermittentem traumaticam oriri uterque putat eo, quod miasma non totum corpus, totum vasorum capillarium systema („Gesammtcapillarität" Eisenmann l. c.), sed localiter vulnus afficiat, in quo, plastice abnormi („Anomale Plastik") incitata, cicatrisationis processum interrumpat aliasque mutationes provocet. Praeterea autem morbus in totum organismum progreditur, totamque sanguinis copiam afficit atque imaginem nunc praebet Febris intermittentis genuinae. Haec vero inire potest complicationes puris resorptione et materiarum perniciosarum nec non phlebitide, „allein" ait Eisen-

27) Die Krankheits-Familie Typosis. Zürich 1839. p. 604.

28) Die Wundfieber und die Kindbettfieber. Erlangen 1837. p. 100.

mannus „diese Phlebitis ist typöser Natur und nicht Ursache, sondern schon Folge der Krankheit.“

A medicis quos modo nominavi transeamus ad chirurgum Berolinensem celeberrimum Graefium[29]). Hic horrores, qui vulnera graviora et operationes sequuntur, hoc modo describit: „Der Frost befällt „den Kranken plötzlich, schüttelt ihn bei starkem „Zähneklappern oder auch krampfhaft geschlosse- „nem Kiefer unter grosser Beängstigung und man- „nigfachen Trübungen des Bewusstseins heftig zu- „sammen, währt $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ Stunden und weicht bei „günstiger Wendung einem mit vermehrter Wärme „eintretenden reichlichen Schweissausbruche. Zu- „weilen wiederholen sich dergleichen Anfälle zwei „ja drei Mal an einem Tage oder es kehren dieselben „täglich aber zu ganz unbestimmten Zeiten zurück.“

Alio loco: „Es ist derselbe (sc. Schüttelfrost) „in manchen Fällen als eine reine Nervenaffection „zu betrachten, welche die Form der Febris inter- „mittens perniciosa ohne aber einen regelmässigen „Typus zu halten annimmt.“

Hos casus, dicit Graefius, nisi paroxysmi symptomata aliorum morborum sint Chinino sulfurico cum Opio certe sanari posse, quam ob rem Graefius mihi videtur affectiones diversas ante oculos habuisse gravem pyaemiam genuinam, leviores ejus impetus denique vero complicationes vulnerum cum febri intermittente. —

---

29) Jahresbericht über das klinische chir.-augenärztliche Institut cet. für 1825. Berlin 1826.

Otth[30]), priusquam Graefii de hac re scripta innotuerunt tres hujus morbi casus in nosocomio, quod est Bernae, insulari („Inselhospital") observavit, in quibus typum horrorum mirabatur. Quae observavit fere haec sunt: laesionem quandam causis externis ortam vulnus vel fracturam, cursu normali ad redintegrationem procedentem, causis occasionalibus externis deficientibus in valetudinis gradu, quem obtinuerit, subito detineri, simulque febrem intermittentem apparere, cujus paroxysmi typum plus minusve irregularem, sed saepius quotidianae duplicatae sequantur. Interdum calorem pulsumque frequentem, febrilem praeter paroxysmos quoque perstare, ita ut febris remittens tum dici queat. Simul cum febre in organo quodam nobiliore, a laeso plus minusve distante inflammationem ingentem exoriri rapidissime, cujus sedes, symptomatibus deficientibus saepe post mortem tantum inveniatur. Alio loco naturam processus intermittentis ipsius vult interpretari et inprimis Reichii theoriam optimam judicat, „quae quamquam nimis singularis sola in morbum „a me descriptum lucis aliquid diffundit." Reich autem, nobis enarrat Otth, febrem intermittentem ait semper pulmonum inflammationis symptoma sistere, quam ob rem pneumoniam, pleuritidem, bronchitidem phthisin pulmonalem et febrem intermittentem eundem esse morbum, omnesque hos morbos in praelectionibus pathologicis una pertractat. Otth non omnibus hujus theoriae partibus adstipulari potest

30) De febre intermittente traumatica. Diss. inaug. Berolini 1828.

dicitque degenerationes chronicas hepatis et lienis, febre intermittente sanata, saepe remanere, unde persuasum habet alias etiam quam pulmonum inflammationes hanc febrem efficere posse. Itaque febrem intermittentem existimat febrem inflammatoriam, quae propter systematis nervosi affectionem induat characterem nervosum, cujusque causa proxima inflammatio sit interna, plerumque pulmonum. Hac autem theoria putat Otth illustrari posse febris intermittentis traumaticae indolem. (!!)

Mirari enim non oportere inflammationem tantam et tam rapidam febris formam tam vehementis atque malignae referre neque sese dubitare, quin febris intermittentis typus plus minusve malignus pendeat ab inflammationis gradu.

Febris intermittentis causa inventa Otthius, etiam inflammationis causam quaerit. Tres morbi historias enarraverat. Primo in casu hydrocele tractatur. Vulnus cicatricula fere inducta optimam exhibebat speciem. Subito aegrotus horrore vehemente, conquassante corripiebatur, quem alii typo satis irregulari sequuntur. Aegrotus mortuus est post quintum impetum. In cadavere dissecto nihil invenitur, nisi inter ossa cranii et duram matrem paululum sanguinis atri extravasati, atque inter duram matrem et membranam arachnoideam plures unciae seri rubentis. Observavit igitur hoc in casu Otthius pyaemiam sine phlebitide atque sine abscessibus metastaticis, quam nos quoque vidimus.

Observatio secunda pertinet ad aegrum fractura complicata laborantem. Decimo die horror primus

observatur, tum symptomata, quae nobis omnia videntur pyaemiae, mors denique die decimo septimo. In cadavere invenitur pleuritis, ut mihi videtur, gangraenosa, in pulmonibus pluribus locis „ulcerationes.“

Observatio tertia iterum est fracturae complicatae. Die decimo quarto horror primus, die vicesimo mors, postquam per hoc tempus omnia adfuerant pyaemiae symptomata. In cadavere dissecto pulmonis parenchyma parte posteriore superiore „in „substantiam tuberculosam sordido-flavam transmuta- „tum erat, quae quidem aequabilior molliorque erat „quam in phthisi tuberculosa solet. Reliqua pulmonis „dextri pars — — liquorem furvum, ichorosum, foe- „tidissimum sanguineque mixtum edebat. Pulmo sini- „ster minus pleurae costarum adhaerebat saccusque „hujus lateris sero sanguinolento repletus erat. Par- „enchyma pulmonis sinistri minus tuberculosum (?), „humor ex eo expressus spumosus, minus foetidus „erat.“

Audiamus nunc explicationem scriptoris. Hydrocelen putat receptaculum pathologicum obtulisse, cujus aditus operatione radicali materiae morbosae praeclusus fuerit, quae cicatrice inducta aliud receptaculum, nimirum cerebrum sibi elegerit ibique inflammationem effecerit; hanc autem incitasse febrem intermittentem. Quod ad secundum et tertium casum attinet, inflammationem pulmonum nec non pleuritidem effecisse putat febrem intermittentem, ut jam antea, Reichio duce, docuerat.

Sed proh dolor! has valde admirandas theorias defendi opus est, quum Otthius, dissertatione fere

finita Graefii illum tractatum, quem jam commemoravimus, recepisset. „Haec“ ait „meae repugnare „videntur explicationi, verum sectiones cadaverum, „quas instituere mihi licuit, nec non omnium, qui an„tea huic morbo in nosocomio nostro succubuerant, „sufficientia sistunt argumenta opinionis meae.“ Chininum, inquit, quod Gräfius valde laudavit, in suis casibus fuisse inutile, et remedium empiricum, quod, si aliquo loco suppresserit inflammationem, provocare ibidem indurationem (!). Praeterea dicit sibi ab Ill. Graefio alium hunc casum oblatum esse, cujus breviorem adumbrationem equidem hoc loco referam:

Pars carcinomatosa penis per ligaturam removetur. Inter quartum inde diem horror vehemens conquassans apparet in sudorem abiens, post quem pulsus manet frequens et parvus. (℞. Chinini sulfurici gr. xvj. Opii puri gr. j. Sacchari albi ʒjβ. M. f. pulvis. Divide in partes aequales viij. d. s. Singulis horis pulvis sumatur.) Sex horis a primo paroxysmo elapsis novus apparet horror, priori valde vehementior. Iterum horis sex elapsis novus horror sed levior, quem sudor levis secutus est. Pulsus fit plenior tardior. Dum Chinini utitur dosibus minoribus aegrotus, paulatim omnia symptomata febrilia evanescebant viresque reficiebantur. — Postea aegrotus valetudine perfecta recuperata institutum clinicum reliquit; sed post aliquod tempus causa ignota domi periit.

Otthius, qui hanc febrem nominat febrem intermittentem quotidianam quadruplicem, hoc quoque loco dubitat, num fortasse penis ligatura organum materiae deletoriae remotum sit opinaturque, re vera illam

febrem inde ortam esse, quod materia carcinomatosa bis (scilicet primum ligatura, tum Chinino sulfurico!) a sede sua depulsa in aliud organum internum deposita sit mortemque induxerit. — Mihi quidem hic casus affectionibus pyaemicis levioribus, quas et ipse Chinae praeparatis cedere observavi, adnumerandus videtur esse.

Initio tractatus sui [31]) Lueders, ad quem nunc transeamus, pyaemiae casum enarrat prae omnibus memorabilem. In juvene quodam viginti annos nato, robusto, cui inter summam anaemiam atque debilitatem, quae vulnerationem arteriae brachialis nervique radialis sequebatur, die octavo post vulnerationem arteria subclavia ligabatur, affectionibus nervosis praecedentibus, quae non raro tetanum indicant, atque apicibus digitorum trium sphacelosis factis, primum febris remittens exorta est, quae postea typum febris quotidianae duplicis nanciscitur, magnis Chinini cum Opio dosibus minime cedit, et quum status typhosus universalis processerit impetu vigesimo sexto incipiente, die vigesimo post operationem mortem adduxerit.

Sectione cadaveris instituta, quae ceteris paribus accurate instituta fuisse minime mihi videtur, in nulla vena inflammatio, nullo modo thrombi inveniri potuerunt. Sanguis venarum ubique seroso-liquidus, colore flavus, intestina inveniuntur pallida. Nec in pleuris, nec in peritonaeo, nec in membrana arachnoidea

31) Das intermittirende Wundfieber, seine Symptome, Ursachen und Behandlung. Hamburg 1831. (Lueders fuit Kiliae medicinae professor ordinarius propositus instituto clinico).

vestigia conspiciuntur inflammationis. In vulnere puncto neque gangraena neque suppuratio.

Arteria discisa brachialis exit in saccum satis magnum, qui pluribus exsudati et diffusi fibrini stratis conformatur. Vulnus operatione institutum sine ulla gangraena et suppuratione. Arteria subclavia ligata omnino obliterata. Articuli digitorum sphacelosi pure a partibus vicinis separati et fere ab iis dissoluti sunt.

Hunc in casum, literatura satis diligenter collecta, Lueders hanc sistit theoriam febris intermittentis traumaticae.

Postquam scriptorum classicorum opiniones de febre intermittente ejusque definitione minime congruentes proposuit, ipse eo procedit, ut, quamquam in observatione ipsius typus minime purus fuerit, morbum tamen febrem traumaticam intermittentem perniciosam appellet. Sed observationibus aliis atque experientiis reliquit eruendum, utrum semper hemitritaeus, an interdum intermittens pura existat, nec non semper vel praecipue adsit typus regularis. Quod vero ad causas pertinet Lueders putavit constitutionem epidemicam non esse magni momenti. Etenim tempore, quo Lueders observationem fecit nulla exstitit febris intermittentis epidemia; tum autem Chininum sulfuricum nihil profuit, denique vero in casu relato symptomata adfuerunt propria. (Quae sunt pyaemia!) Febrem igitur secutam esse laesionem praecedentem persuasum habet, speciemque esse putat febris vulnerariae neque nega symptomata nervosa maxime in conspectum venisse „Hier aber“ dicit l. c. „erschien mir das intermitti

„rende Wundfieber als reine Nervenaffection und „zwar als verlarvter Wundstarrkrampf oder vielmehr „als Metaschematismus des Wundstarrkrampfs“ et alio loco: „Ich verstehe unter Metaschematismus die „Formumwandlung einer Krankheit bei Fortdauer „ihres Wesens.“

Febris quoque intermittentis genuinae causam in affectione systematis centralis nervorum statuit, quo demonstrare vult affinitatem ejus cum intermittente traumatica. Sed negat hanc esse solam nervorum offectionem et potius se Ekstroemii[32]) sententiae favere dicit, qui putat, primo constitutionem annuam non exigui esse momenti (quod Lueders antea negaverat!), quae post vulnerationem tales febres excitare possit iisque typum quartanae vel quotidianae tribuere; dein hanc febrem ex inflammatione venarum pendere, tertio esse nervorum vel inflammationem vel irritationem.

Jam antea Harless[33]) et Sachse e pure in venam cavam translatam oriri febrem illam statuerunt, quam sententiam demonstrare voluerunt, alter experimentis alter febrem hecticam afferendo, quae semper faceret intermissiones. (!)

Sed transeamus ad tractatum, quem Lueders scripsit. Demonstrare voluerat febrem suam intermittentem traumaticam primo esse nervorum affectionem solam, tum eam posse oriri ex inflammationibus viscerum vel ex phlebitide, tertio denique non negat,

---

32) Isis, herausgegeben von Oken 1831. Heft VIII—X.
33) Isis l. c.

febres non abesse symptomaticas, suppurationem, gangraenam comitantes vel typhosas et hecticas, quae quibusdam sub conditionibus formam febris intermittentis perniciosae assumere possint. Diagnosin differentialem harum diversarum febrium non sine prudentia observationibus relinquit accuratioribus.

Ill. Berndt[34]) febres paroxysmis atque apyrexiis excellentes non semper dicit primitivas, sed aliarum quoque symptomata.

Alio loco Ill. Berndt febrem, de qua agitur, suppuratoriam esse statuit, typum rectissime minus respiciens; similem eam dicit febri hecticae.

Autor denique postremus, qui febrem in pyaemia observandam intermittentem quandam esse contendit, Rosenberger[35]), qui Regimonti Ungeri et Sachsii auctoritatem sequutus videtur scripsisse initio ut ejus antecessores historiam morbi quasi fundamentum theoriae affert, ex qua illa tantum, quae nostra intersunt, eligam.

Vir triginta annorum trabe obrutus et eo modo laesus est, ut regio lumbalis, inferior pars columnae vertebralis et os sacrum percuterentur. Nullae externae laesiones nisi sugillationes quaedam. Queritur aegrotus de vehemente dolore in regione acetabuli dextri lateris; femora late distabant neque ea contrahere valebat.

Primis diebus febris vespertina et levior fuit, sed jam quarto die cum majore ardore atque deliriis con-

---

34) Fieberlehre Bd. I, II. Leipzig 1830.

35) De febre intermittente traumatica Diss. inaug. Regimonti Prussorum 1832.

juncta. Quinti diei hora pomeridiana quinta primo horrores dolores artuum et praecipue dorsi tum frigus apparet tanta vehementia, ut aegroti dentes dentibns allidantur, denique calor et paulo post sudor frigoris magnitudini respondens. Observatur idem paroxysmus diei sexti hora eadem, diei septimi hora quarta. Die octavo aegrotus sumit quavis hora et Chinini sulfurici et Moschi granum unum. Apparet paroxysmus sed sine frigore. Tum febris sublata est usque ad diem vigesimum quartum. Hoc die iterum apparet ceditque Chinino sulfurico. Post plures denique menses tertia febris cum eodem typo quotidiano cedit remedio praestantissimo. Tum aegrotus dimissus est.

Primum quidem Rosenberger de febre intermittente vera disputat conjicitque eam ex affectione systematis gangliosi et medullae spinalis oriri.

Hujus autem febris intermittentis putat constare connexum cum traumate. Hunc dicit connexum cum laesionibus posse necessarium esse vel occasionalem, ut sit febris intermittens traumatica necessaria ea quae cum laesione tam arcte sit conjuncta aut ex ea dependeat ita, ut, si topicum malum absit, febris absit. Omnes reliquas febres, quae cum laesionibus sese conjungant, occasionales esse.

In ipsius observatione typum non purum esse fatetur nec regularem, qua de causa credit hanc febrem intermittentem traumaticam mox hunc mox illum sequi typum et fieri posse, ut quotidiana vel tertiana vel hemitritaeus sit sicut febres intermittentes cum vulneribus non conjunctae.

Nec in symptomatibus differre hanc febrium no-

vam speciem ab intermittente simplici, omnia phaenomena, quae auctores enumerent in illis, in hac etiam inveniri.

Deinde se convertit ad causas, quae febrem intermittentem traumaticam provocent et primum febrem intermittentem omnem e causis externis exoriri posse anatomia pathologica putat demonstratum esse; sed cum morbus sit nervosus, laesionem externam, quae hunc excitet talem tantum esse, qua systema gangliosum aut medulla spinalis affici possit.

Minime scriptori nostro placet, si quispiam dixirit nocentes causas, quibus febris intermittens vulneribus non conjuncta provocetur, valde differre ab illis causis, e quibus febris intermittens traumatica originem ducat et hanc valde mirandam dat nobis demonstrationem: „Ut ab una eademque causa praecipue „variis temporibus, varii morbi provocari possunt, „ita unus idemque status morbosus a variis pendere „potest causis." Cum statuisset febrem intermittentem vulneribus non conjunctam ex affectione systematis nervosi gangliosi vel medullae spinalis exoriri, simili hypothetico modo originem febris intermittentis traumaticae demonstrat. „Primo" inquit „in casu „ubi febris intermittens mera observatur, febrem „nostram nullo alio modo nisi laesione nervi peri„pherici, cujus centrum medulla spinalis est, exortam „esse puto. Secundo in casu, ubi vulnus nil laesio„nis nervorum ostendebat — — — vulnere tales mu„tationes atque perturbationes in organis vegetativis „provocari credo, ut systema gangliorum a parte in„terna peripherica afficiatur, modus quidem, quo

„haec febris intermittens oritur et quod ad causas „sane non differt, a simplici ab internis causis de- „pendente; quia autem laesio primam causam aut „certe momentum primum praebebat, febrem hoc „modo exortam traumaticam nominari possumus."

Quum mihi non contigerit complures de hac re scriptores conferre peto a lectoribus, ut benevole hoc qualecunque tirocinium accipiant.

VITA.

Ego Paulus Albertus Boerner confessioni addictus evangelicae natus sum Jacobshagenii die XXV mensis Maj. anni hujus saeculi XXIX patre optimo Carolo, qui ante octo annos diem obiit supremum, matre carissima Paulina e gente Juengel, quam adhuc superstitem duplici amore amplector.

Primis literarum et linguarum instructus elementis Gymnasium adii Primislavianum a. hujus saeculi XLII, quod tunc sub auspiciis directoris Paalzow florebat. Anno autem hujus saeculi XLIV Zuellichaviae Paedagogium regium petii, quod tunc florebat sub auspiciis directoris Hanow, cujus egregiam liberalitatem et benevolentiam semper grato animo recordabor.

Autumnali tempore anni h. s. XLVII a directore Hanow cum testimonio maturitatis dimissus in Berolinensem literarum universitatem me contuli ibique a Rectore Magnifico Ill. Johanne Mueller in civium academicorum numerum receptus et in album facultatis jurisconsultorum ab Ill. Ru-

dorff inscriptus sum atque scholis interfui virorum illustrissimorum Ranke, Werder, Rudorff, Lachmann, Mundt. Tum vero mutato sonsilio tempore paschali anno h. s. LI Regimontium petii ibique a Rectore Magnifico Rosenkranz civibus academicis adscriptus et a Decano maxime spectabili Ill. Rathke in facultatis medicae album relatus sum et per quatuor semestria interfui hisce scholis:

Ill. Moser: de electricitate et galvanismo, de physice experimentali, de physice sensuum.

Ill. Rathke: de anatomia comparata, de zoologia, de splanchnologia, de vasologia, de vermibus intestinalibus, de historia evolutionis animalium vertebratorum.

Ill. Burdach: de osteologia, de syndesmologia, de myologia, de neurologia. Idem mihi dux fuit in exercitationibus anatomico-practicis.

Ill. Helmholtz: de physiologia, de physiologia sensuum, de pathologia et therapia generali.

Ill. Cruse: de materia medica.

Exp. de Wittich: de histologia, de histologia pathologica.

In clinico medico Ill. Hirsch, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Seerig duces mihi fuere.

Paschali tempore anni LIII Herbipoli inter cives academicos receptus sum a Rectore Ill. Hoffmann, ibique per duo semestria interfui hisce scholis:

Ill. Virchow: de monstrositatibus primitivis, de anatomia pathologica universali et speciali et de pathologia generali. Per duo semestria interfui ejus demonstrationibus practicis de anatomia pathologica et ipsius sub auspiciis explorationes institui microscopicas.

Ill. Rienecker: de morbis cutis, de infantum morbis. Sodalis fui instituti policlinico-medici et clinici pro infantum morbis.

Ill. Scherer: de chemia organica et medica.

Ill. Schenk: de botanice.

Ill. Rumpf: de mineralogia.

Ill. Textor: de chirurgia speciali, de instrumentis chirurgicis.
Ill. Marcus: de pathologia et therapia speciali. Idem dux mihi fuit in clinico psychiatrico.
Ill. Scanzoni: de arte obstetricio.

Exercitationes practicas, quae de auscultatione et percuscione, de syphilide, a Dr. Biermer et Dr. Geigel medicis assistentibus, instituebantur, frequentavi nec non exercitationes obstetricias practicas, quas instituit Dr. Schmidt.

Paschali tempore anno LIV denique Gryphiam petii, ubi receptus sum in civium academicorum numerum a Rectore Magnifico Ill. Beseler atque medicinae studiosis adscriptus ab Ill. Haeser t. t. Decano facultatis medicae. Praelectiones audivi quae sequuntur:

Ill. Berndt: de morbis puerperarum.
Exp. Haeckermann: de politia medica.

In clinico medico et obstetricio Ill. Berndt, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico et operationibus in cadavere institutis Ill. Bardeleben, in policlinico obstetricio Cel. Eichstedt mihi duces fuere. Cel. Schultze repetitorio de anatomia corporis humani interfui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas ago gratias.

Jam vero tentaminibus quum philosophico, tum medico, examineque rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus meis publice defensis summi medicinae, chirurgiae artisque obstetriciae in me conferantur honores.

THESES.

I.

Albuminuria non est Morbi Brightii certum signum.

II.

Vis nervornm est electrica.

III.

Pyaemiae nihil cum pure, nihil cum phlebitide.

IV.

Verae physiologiae ille finis ut se ipsa destruat.

V.

Methodum statisticam, quam Andral et Gavarret proposuerunt, ad therapeuticen certam statuendam nondum licet adhibere.